



SERENISSIMAE PRINCIPIS
 ET DOMINAE,
 DOMINAE
ULTRICAE
ELEONORAE,
 SVEONVM, GOTHORVM,
 VANDALORVM, ETC. ETC. ETC.
 REGINAE DIVAE,
DIEM EMORTVALEM

^A
IOANNE IAC. FLACHSENIO,
 ABOA-SVECO,
 HODIE IN TEMPLO ARCIS, QVAE VI-
 TEMBERGAE EST, ORATIONE
FVNEBRI PROSEQVENDVM,

PROCERIBVS, PERILLVST. BARONIBVS
 PATRIBVS ET ACADEMIAE CIVIBVS,
PVBLICE INDICAT DENVNCIATQVE

RECTOR ACADEMIAE
VITEMBERGENSIS
IO. GOTHOFREDVS
BERGER,
 D. ORDINIS MEDICI SENIOR, h.t.
 DECANVS ET PATHOLOGIAE PROF.
 PVBL.

VITEMBERGAE, LITERIS KREVSIGIANIS.

REgina post hominum
memoriam sanctissima sapien-
tissimaque, **VLERICA**
ELEONORA,
Sveonum ac Gothorum Regina & Mater feli-
cissima, regno optimo, in cuius spem nata &
nupta fuerat, nuncium remisit, & nova coe-
lestis reginae dignitate aucta, commutavit
conditionem suam, in melioremque Dei repo-
scentis nutu fecit. Qua ex re magnum vul-
nus accepit Septentrio, & Germaniam so-
cietate doloris sibi coniunxit, finitimasque
regiones traxit in partes, quae Regi Mar-
tio, **CAROLO XI.** decus solatiumque ere-
ptum quaeruntur merito ac lugent. Nam
ex infinito Matronarum numero haec una
extitit, quae conspectu suo & colloquio ta-
lem tantumque Maritum reficeret, ac sum-
mo amore cultuque prosequeretur. Nun-
quam ludos fecit, aut tempus in spectaculis
consumsit, sed alios exemplo suo monuit, ut
res ludicras inutilesque aspernarentur. Fi-
dem excedit Reginae pietas, quam sine su-
perstitione coluit, & salutarem disciplinam,
recte perceptam, usu tractationeque piarum
rerum confirmavit, neque a sua & regni fe-
licitate unquam seiunxit. Brevis enim fu-
cataque

cataque laetitia est, quae non a puro hoc fonte rivulos ducit, & corrumpitur facile, quae sique obstructa scaturigine exarescit. Rebus ergo religionem animi, sanctimoniamque comprobavit, & sublevandae egestatis cupida, caritatem maxime demonstravit semper & exercuit, atque hac agendi ratione invitavit alios ad beneficia impertienda. Virtuti pretium, studiis honorem servavit, deditaque literis, ingenio & eruditione plurimos vicit, illos etiam, qui hoc agunt, ut eruditi habeantur. Rege rem militarem, aut rempublicam ordinante, ipsa, ne esset vacua a laboribus, in bibliothecam se abdedit, libros codicesque evolvit, alios cum aliis contulit, & limato iudicio antiquitatem simul probavit & fidem. Mirum est & memoratu dignum, eminuisse eam ante alias Europae Reginae, quae tam fuit pia, ut Cives ab ea pietatis exemplum peterent, tamque fuit docta, ut ultro illi cederent, qui artem faciunt, & doctrinae studia profitentur. Nihil addo de fama clementiae, qua virtute velut sua propriaque utebatur, eamque, illibata dignitate, servabat, & veram aeternamque felicitatem, cum in terris esset, animo & cogitatione praecipiebat Regina DEO cara, Regi fida, patriae amans. Longum foret, tot tamque
infini-

infinitas Reginae laudes hoc loco referre, quas
vix iustum volumen capiat univcrsas. Datum
hoc negotium est ornatisfimo humanissimo-
que iuveni IOANNI IAC. FLACHSENIO
Aboa-Sveco, quem praeter magna patris me-
rita, claritas natalium, & studiorum elegantia
distingvunt a vulgo. Nostra refert, ut cogite-
mus, nihil omnino in vita stabile esse & fir-
mum, Regisqve moestissimi dolorem aegritu-
dinemq; verbis, quibus possumus, submissere-
verenterqve leniamus, & Deum auctorem fe-
licitatis publicae obsecremus, ut in multos ac
feros annos eum servet patriae suae, & sociis
vicinisqve regnis, quorum rationes id ferunt,
ut consilio & auctoritate eius in spem iustae &
fidae pacis, quae Sponsore tanto futura sit,
optimi eventus expectatione erigantur. Reli-
quum est, ut omnes reipublicae proceres, si-
gillatim per illustres Barones, Amplissimosqve
Academiae Patres & Hospites atqve Cives
universos, per sacras Regis infulas, perqve Divae Re-
ginae, cui ultimum hodie officium constat, sanctissi-
mos cineres, rogemus obnixe & admoneamus, ut
hoc ipso Exequiarum die, in templo Arcis, frequen-
tissima hominum corona adsint, & FLACHSE-
NIVM, compositis ad suprema animis, prolixè audi-
ant, praeferentes in vultu habituqve tantae memo-
riam cladis, qua Potentissimum Septentrionis R E-
GEM affectum esse, dolent omnes & merito com-
plorant. P. P. Anno recuperatae salutis
M DC XCIII.

Datum der Entleihung bitte

Dieser Band wurde 1996 durch Bestrahlung sterilisiert. Verfärbungen stellen keine Gefahr dar.

15. Feb. 1993

14. Okt. 1993

14. Okt. 1993

25. Nov. 1993

15. Dez. 1993

04. Juni 1994

04. Juni 1994

01. Juni 1994

13. Juli 1996

16. Okt. 1996

10. Juni 1998

13. Aug. 1998

13. Aug. 1998

SACHSISCHE LANDESBIBLIOTHEK



2 0097514

1 B 8346

